



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-613097-p0001-5

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-613097-p0002-0

DFG

AUXILIANTE S.S. ET INDIVIDUA TRINITATE

138.

Hanc

de

1662, 10.

# RETENTIONIS JURE

21

DISPUTATIONEM JURIDICAM  
INAUGURALEM

*Decreto & Auctoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,  
AMPLISSIMI QVE JURISCONSULTO-  
RUM ORDINIS IN CELEBERRIMA  
ARGENTORATENSIMUM  
ACADEMIA,

*Disp. xx*

Pro summis in utroque Iure

Honoribus ac Privilegiis

rite consequendis,

*Solenni censuræ submitter  
ad diem 30. mensis April.*

JOHANNES PHILIPPUS Heinß/  
Weissenburgo-Alfatus.

ARGENTORATI,  
Literis GEORG- ANDREÆ DOLHOPFII,

ANNO M DC LXII.



STATUTUM ACADEMICUM 22 ETIACUM

XXVII

XXVIII

СИНОДИЧЕСКАЯ

ДИСПУТАЦИОННАЯ

DISPUTATIONEM JURIDICAM  
INSTITUJALAM

ДИСПУТАЦИОННАЯ

MAGNIFICI NOBIS SIMI

AMPISSIMAE JURISCOGNITIO

РИМ ОРДИНА IN GELASFERIA

ARGENTORATENSIS

ACADEMIA

PRO FUNDIS IN UNIVERSITATE

HONORIBUS AC PRESTIGIOSIS

ET CONGREGANDIS

SERMONIBUS ET LECTURIS

ET QVADRIBUS LIBRARIBUS

JOHANNES THILIPS

ACADEMICO-AULICUS

ARGENTORATI

PROFESSORIS ANDREAE DOLHOFERI

ANNO M DC LXII





Suy Thes.

De

# JURE RETENTIONIS,

## *Conclusio Prima.*

**R**EDETENTIO à retinendo dicta, præter varias significaciones <sup>a</sup> duas præprimis recipit: quandoque enim perpetuam, <sup>b</sup> quandoque justam ad tempus quoddam detentionem denotat. <sup>c</sup> in quâ significazione proxima, aliquando Detentatio <sup>d</sup> aliquando Exceptio doli mali <sup>e</sup> itemque Compensatio dicitur. <sup>f</sup>

<sup>a</sup> Quarum præprimis notandæ; quod retinere idem denotet, quod cohibere seu coercere. §. 8. l. ad L. Aquil. l. 8. §. 1. l. 52. §. 2. ff. eod. Item conservare & non amittere, l. 12. §. 2. 3. 4. ff. de Vsufr. l. 53. ff. eodem. l. 1. §. 11. ff. de aq. pluv. arc. l. pen. §. 1. C. de Vsufr. l. 25. §. 1. l. 32. pr. & §. 1. l. 44. §. fin. ff. de acq. vel amitt. poss. & pluribus aliis. Item impedimentum aliquid injicere & impedire, ne res aut persona loco suo moveri possit, exemplo l. pen. §. 1. ff. Locat. quod hodie arrestare dicitur. nec non dolo malo detinere, l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. ff. de liber. hom. exhib. arg. l. ult. C. de post. revers. Denique idem etiam significet, quod non dirimere, l. 8. vers. nam furiosus. ff. de his qui sui vel alien. jur. juncta. l. 22. §. 7. vers. et si quidem ff. solut. matr. <sup>b</sup> quando pro compensatione ut l. 4. l. 20. ff. de Compens. l. 13. ff. de negot. gest. l. 30. ff. de A. Empt. Vel perceptione,

A 2 dedu-

deductione, delibatione, in l. 21. pr. & l. 58. § 3. ff. ad SC. Trüb. l. 77.  
pr. ff. de Legat. 2. § 7. I. de Fideic. hered. l. 15. § 1. l. 93. ff. ad L. Falc. l. pen.  
Cod. eod. Nov. 1. c. 3. pr. sumitur. <sup>c</sup> l. 26. § 4. l. 33. ff. de Condict. in-  
deb. l. 14. § 1. ff. Commun. Div. l. 59. ff. defurt. & aliis. <sup>d</sup> in l. 5. ff. de  
Impens. in res dot. <sup>e</sup> generalis scilicet l. 2. § 5. l. 14. l. ult. § 2. ff. de  
dol. mal. & met. exc. § 30. Inst. de R. D. l. 27. § fin. ff. & l. 11. C. de R. V. l. 1.  
C. si res alien. pign. l. un. C. etiam de Chirogr. pec. pign. <sup>f</sup> l. 4. C. de pe-  
tit. hered. l. 48. ff. de R. V. l. 39. ff. de pign. act. l. 7. § 5. ff. solut. matrim. latè  
scilicet vocabulo hoc accepto.

## II.

Est autem RETENTIO hæc, licita <sup>a</sup> alienæ  
rei <sup>b</sup> penes aliquem existentis <sup>c</sup> pro debito  
quodam <sup>d</sup> tamdiu detentio, donec de eo sa-  
tisfiat. <sup>e</sup> & dicitur juxta hæc <sup>f</sup> DD. alia *Juris* <sup>g</sup>  
alia *Factio* <sup>h</sup> itemque alia *Judicialis* <sup>i</sup> alia *Ex-  
trajudicialis*. <sup>k</sup>

<sup>a</sup> Seu jure permissa, & quidem in aliquibus tantum cas-  
ibus, à jure nimirum determinatis & expressis, prout infra ap-  
parebit: Regulariter namque non licet rem unam pro alia re-  
tinere, sed tenetur quilibet debitorem suum solenniter ad solu-  
tionem faciendam convenire. l. 5. C. in quib. caus. l. ult. C. Commod.  
Qua ratione igitur differt à *Pignoratione*, quod non in hac, sicut  
in retentione, præsupponatur jus tacitæ cujusdam hypothecæ,  
vel saltem possessionis ex causis à lege permisis. Quemadmo-  
dum & ab *Arresto* differt, quod propria authoritate arrestare non  
sicut retinere liceat. Ut & à *Pignore*, quod citra conventionem  
de pignore, rem pignoris jure habere non liceat; Retinere au-  
tem concedatur. <sup>b</sup> ut videre est *infra conclus. 7. lit. b.* <sup>c</sup> prout  
argumento sunt l. 14. ibi: non aliter sumptus consequi posse, quam si pos-  
sideret ff. de dol. mal. except. l. unic. C. ob Chirogr. pec. pign. l. 26. § 4. ff. de  
Condict. indeb. & aliis: quando namque res semel evaserit manus  
& tenutam ( ut loquuntur ) retinere intendentis, non habebit  
amplius locum jus Retentionis. <sup>d</sup> ita accipiendo, ut & is,  
qui



qui citra animum alterum sibi obligandi, impensas in re aliena fecit, quodammodo comprehendi possit arg. l. 16. §. naturales 4. vers. nam licet ff. de Fidejuss. l. 10. vers. quod si natura ff. de V. S. l. 42. §. 1. ff. de O. & A. l. 64. ff. de Condict. indeb. Ceterum in debito hoc requiritur, ut sit proprium eorum, inter quos retentio instituitur arg. l. 9. C. de Comp. deinde ut sit praesens & purum arg. l. 7. ff. de Compens. nisi debitor de dilapidatione esset suspectus, eo casu enim recte daretur etiam retentio, pro debito in diem contracto arg. l. 14. ff. de Pignor. l. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred. Tandem ut causa debiti iusta & vera sit, & incontinenti de ea vel intra breve tempus constare possit. <sup>e</sup> l. 26. §. 4. ibi ager a. retinebitur, donec debita pecunia solvatur. ff. de condict. indeb. l. 5. ibi: manebit igitur in rerum detentio- nem, donec ei satisfiat ff. de impens. in res dot. l. unic. C. Etiam ob chir. pecun. & aliis. Quare potissimum à Compensatione in hoc differt: quod hæc obligationem & actionem absorbeat, dum pro ipsa solutio- ne habeatur. l. 4. ff. qui potior. in pign. l. 10. pr. ff. de Compens. l. 19. ff. de Liberal. caus. &c, rem in perpetuum retinendi jus tribuat: Reten- tio vero obligationem & actionem relinquat, remque duntaxat debitoris detinere permittat tamdiu, donec debitum solvatur. l. 26. §. 4. ff. de condict. indeb. l. 14. ff. de except. dol. l. 59. ff. de Furt. f nam ea, quæ perpetua & temporalis dicitur, sub generali re- tentionis significatione relinquenda. g quod competit ipso jure. l. 5. ff. de impens. in res dot §. 37. l. de Act. Ipsa etenim petitio do- tis, ipso jure minuitur d. l. 5. ff. de impeus. in res dot. h quod fiat per oppositam exceptionem doli. l. 14. ff. de dol. mal. exc. l. unic. C. Etiam ob Chirag. pec. Vultejus §. 16. Inst. de Act. num. 44. Gothofr. ad l. 51. ff. de Condict. indeb. lit. y. i quando sc. conventus reti- nens doli se defendat exceptione §. 30. Inst. de R. D. l. unic. C. Etiam ob Chirogr. pec. k quando propriâ auctoritate, non requisito ad id judicis officio, retentione utatur. arg. l. 26. §. 4. ff. de Condict. indeb. l. 5. ff. de Imp. in res. l. unic. C. Etiam ob Chirogr. & exemplis infra positis.

## III.

Causam Efficientem REMOTAM juri Ci-  
vili,<sup>a</sup> PROPINQUAM causæ istæ à jure expres-

A 3

sæ,

sæ, quæ beneficium hoc operatur , adscribi-  
mus; quales sunt *ex parte retinentis*, Primo:  
Si cum voluntate debitoris, res retinenda ad  
crediteorem, eo respectu & animo pervene-  
rit, ut jus aliquod in ea sibi acquireret.<sup>b</sup> De-  
inde: Si impensæ in eam factæ sint.<sup>c</sup> *Ex par-  
te verò rem retinendam* potentis, si dolo vel  
culpa solutio debiti dilata vel denegata fu-  
erit.<sup>d</sup>

<sup>a</sup> Licet namque non minima hujus juris pars æquitati,  
ceu præcipuo Juris Gentium fundamento debeatur, prout ex  
l.48. ff. de R. V. l.14. ff. de dol. mal. & met. ex l.38. ff. de Pet. hered. l. 14.  
§.1. ff. Commun. Divid. & aliis textibus hinc inde adductis , satis appareat;  
adeoque hinc Juri Gentium accensendum esset: præsertim cum  
Jus Civile aliquando & quidem regulariter rem unam pro alia  
prætextu debiti retinere non permittat. l.5. C. in quib. caus. l. ult. C.  
Commod. Quia tamen Jus Civile non usque quaque retinere  
permittat, sed in certis tantum & expressis casibus; merito ea-  
propter juri civili adscribitur: cum alias Juris Civilis non illud  
tantum esse dicatur, quod ab eo inventum, sed & quod ab eo-  
dem informatum sit, l.130. ff. de V. S. & §. 1. Inst. de oblig. <sup>b</sup> Ces-  
sat enim retentio, quando res, de cuius retentione ex hoc capite  
agitur, pervenit ad creditorem sine voluntate debitoris. l. ult.  
C. Commod. l.5. C. in quib. caus. pign. quemadmodum & cessat, si  
citra animum juris aliquid in ea concedendi ad creditorem per-  
venerit. d.d. ll. <sup>c</sup> §.31. Inst. de R. D. §.39. Inst. de action. l. 48. ff. de  
R. V. l.14. §.1. ff. Commun. divid. l.38. l.39. §.1. ff. de hered. petit. l. 33. ff. de  
Condict. indeb. <sup>d</sup> quod ex fine juris hujus colligi potest: Si-  
quidem retinetur res, ut debitor ad solvendum adigatur & co-  
gatur. Quem autem per hæc remedia cogere necesse habemus,  
eum utique vel dolo vel culpa solutionem debiti protraxisse  
vel denegasse oportet.

IV.



## IV.

*Ex prima igitur Causa* (quando nimirum res retinenda cum voluntate Debitoris eoque animo ad creditorem pervenerit, ut jus aliquod in eâ sibi acquireret) *Competit I.* *Creditori*, ad quem res retinenda, occasione & causa istius debiti, ob quod retinetur per-  
venit<sup>a</sup> 2. *Ei*, qui rem alienam sibi oppigno-  
rari passus est,<sup>b</sup> 3. *Ei*, cui à Procuratore, ci-  
tra domini voluntatem, pignus pro pecunia  
credita traditum est, si constet in rem domini  
versam esse<sup>c</sup> 4. *Creditori* in re pignori tradi-  
ta, pro alio debito, pro quo pignus datum  
non est.<sup>d</sup>

<sup>a</sup> Ut in casibus l.26. §.4. ff. de *Condict. indeb.* l.24. §.1. ff. de *pign.*  
*act.* l.50. ff. *desolut.* Bartol. ad d.l.26. §.4. & l.5. ff. In quibus caus. pign.  
Unde non incommodè hic queritur; An Creditori chirogra-  
phum, in quo debitor confitetur certam pecuniæ summam sibi  
numeratam esse, quam tamen non accepit, tamdiu retinere li-  
ceat, donec de summa ista ipsi satisfactum sit? Ita; si debitor bi-  
ennium illud citra querimoniam vel chirographi condic-  
tionem aut non numeratae pecuniæ exceptionem elabi patiatur  
arg. l.8.9.14. C. de non num. pecun.      <sup>b</sup> Si quidem sciens; non  
habebit actionem pignoratitiam contrariam. l.16. §.1. in fin. ff. de  
*pignor. act.* Sed tantum contra debitorem jus retinendi. l. 1. pr. ff.  
de *pign.* quia in pari causa possidentis conditio melior est. l. 2. C.  
de *Condict. ob turp. caus.* l.14. ff. qui pot. in *pign.* Si verò ignorans rem  
alienam pignori accepit, quia actionem habet l.32. ff. de *pign.*  
*act.* etiam retentionem habebit. arg. l.1. §.4. ff. de *Superf..*      <sup>c</sup> Per  
l.1. C. si res alien. pign. dat. sit.      <sup>d</sup> per l. unic. C. Etiam ob Chirogr.  
pecuniæ.

pecun. pign. quod debitor pignus repetens, nec tamen debitum chirographarium solvere cupiens, dolo agere videatur. vide Cujacium in parat. Cod. ad hunc tit. Dicitur autem in conclusione hâc in re pignori tradita: Oportet namque creditorem rem debitoris, vinculo sibi pignoris obligatam tenere, d. l. unic. (quod etiam sit, si per hypothecariam actionem rem obligatam à debitore vel alio possessore avocaverimus. Neguz. 3. membr. 5. part. n. 48. de Pignor. & hypoth. Ut &c, si rem emptam sub pacto de retrvendendo teneamus. Anton. Fab. in Cod. lib. 2. tit. 16. defin. 4. Nec non, si per missionem in bonorum possessionem, jus pignoris constitutum nobis sit. l. 3. §. 1. ff. de reb. eor. qui sub) quâ de re creditorij non licebit rem istam debitoris, velut taciti pignoris jure retinere, quæ alio quam pignoris titulo ad eum pervernit. Non magis siquidem is, qui de pignore nullo modo convenit, poterit rem debitoris propignore retinere, quam agendo eam persequi arg. l. 3. ff. que res pign. oblig. An igitur, juxta modo dicta, isti chirographario debitori, qui ab alio hypothecario/creditore pignoris jus nactus est, competit etiam ob chirographariam pecuniam retentio, quæ ritur? Negat Neguzant. dict. loc. n. 49. Amplius in dicta conclusione dicitur: Pro alio debito, pro quo pignus datum non est. Ut proinde detur retentio pro omni debito ad actionem efficaci, tam chirographario quam hypothecario, ex quacunq; obligatione efficaci orto: Etiam pro Usuris, si de iis præstandis conventum fuerit. l. 4. l. 22. C. de Vsur. l. 8. §. 5. l. 11. §. 3. ff. de pign. act. Secus verò se res habet in pignore, de quo expressim convenit, ut, si certa quantitas solveretur, restitueretur: nam tum non poterit retineri pro alia quantitate, quæ jam tum debebatur. l. 11. §. 3. ff. de pign. act. quod suam & certam legem ab initio habuit jus actionis pignoratitiae arg. l. 12. §. pen. ff. de solut. nec recusare creditor potest, quo minus legem pignori dictam debitor exerceat; conventiones siquidem legem dant contractibus. l. 1. §. si conv. 6. ff. depos. l. 52. ff. de V.O. Quid ergo de debito censendum, quod post conventionem deberi cœpit? Non idem: neque enim videri potest creditor eo tempore, quo pignus accepit, abjecisse juris communis auxilium sibi aliquando competitum pro debito, quod necdum contractum erat, & de quo contrahendo nil cogitabatur;

142

cogitabatur; cum conventiones ad incogitata non trahantur.  
l. 1. 9. §. 1. ff. de transact. & absurdum est prius extinctum pignus  
dicere, quam sit natura debitum. arg. l. 46. l. 96. ff. de condit. & de-  
monstr.

Ulterius quæritur: Si quis pro uno debito pignus habeat  
idoneum, & pro alio minus idoneum, anne tum possit retinere  
istud pro utroque debito? Affirmat Neguzant. 3. membr. 5. part.  
n. 49. de pignor. & hypoth.

Competit ergo ex hoc capite retentio omni creditori, d. l.  
unic. C. Etiam ob Chirogr. pec. etiam ei, cui ex judicato aliquid præ-  
standum est, pro alio debito ex aliis causis descendente: nec no-  
cebite rei judicatæ auctoritas, quæ cum retinendi pro uno pot-  
estatem confert, non ideo cæteras causas perimit, ex quibus jure  
communi pignus retineri potest: nam cessante potestate judi-  
cati, superest causa juris communis, quæ Creditori possidenti fa-  
cile tribuit retentionem quasi pignoris, tum quoque cum pignus  
revera nullum est. l. 1. ff. de Pign. d. l. unic. C. Etiam ob Chir. pec. l. 13. § 8.  
ff. de act. empt. l. 33. ff. de Condit. indeb. ne alioqui noceat sententia  
ei, pro quo judicatum est, contral 16. ff. de Exempt. rei judicat. Quem-  
admodum & illi competit, qui unum aliquod ex pluribus pigno-  
ribus ita vendidit, ut etiam promiserit præstare evictionem;  
quamvis enim ex pretio consecutus sit, quod debebatur, adeo-  
que jus pignoris per id dissolutum sit: tamen reliquias illas res  
quondam obligatas retinere adhuc poterit, donec ei aliter cave-  
atur, quod evictionem promiserit, indemnem eum futurum. l. 8.  
§. 1. ff. de pign. act.

Datur autem hæc retentio contra ipsum Debitorem d. l. unic.  
C. Etiam ob Chirog. pec. pign. & l. 9. §. 3. ff. de pign. act. non verò Creditorum alium hypothecarium: lex etenim nostra non facit, ut  
primus creditor secundo potior esse debeat in ea pecunia, quam  
eidem debitori post secundum credidit: nam inter creditores  
ordinem temporis omnimodo servandum esse constat. l. 12. §. 3.  
& l. 20. ff. qui pot. in pign. ne factio debitoris damnum sentiat cre-  
ditor, qui pignoris expressa conventione sibi bene prospexerat  
arg. l. 3. ff. de Separat. in eoque meliorem creditoris hypothecarii  
conditionem esse & quum est quam debitoris, cuius sane nihil  
interest, quo tempore debitor factus fuerit, dum debitor sit.

B

Quod



Quod si verò post jus illud quæ situm aliis pecuniam crediderit,  
ex eaque causa idem pignus acceperit, potior haberi debet is,  
qui anterior fuit, etiam quoad Chirographariam pecuniam:  
quia non magis secundus Creditor jus primi lādere potuit,  
quam primus ex post facto secundi: nam in pignoribus qui  
prior est tempore, potior est jure regulariter. l. 2. l. 4. C. qui po-  
tior. in pignor.

V.

Ulterius ex prima causa retentionis com-  
petit hoc jus, s. *Vxori* in rebus ac bonis ma-  
riti pro eo debito, pro quo ipsi datur actio.<sup>a</sup>  
6. *Marito* in bonis defunctæ uxoris, ad id  
quod sibi debetur.<sup>b</sup> 7. *Locatori* prædiorum  
urbanorum in rebus inventis & illatis, pro  
mercede & pensione.<sup>c</sup> 8. *Conductori* merci-  
um evehendarum aut portandarum in mer-  
cibus, pro mercede.<sup>d</sup> 9. *Vendori* in reven-  
ditâ pro præstando pretio.<sup>e</sup> 10. *Emptori* in  
pretio, pro tradenda merce.<sup>f</sup> 11. *Redempto-*  
*ri* in persona redempti ab hostibus pro ly-  
tro consequendo.<sup>g</sup> 12. *Heredi* in legato rei  
individuæ, si legatarius illud petat, nec tamen  
pro Falcidiæ ratione partem æstimationis  
solvat.<sup>h</sup>

<sup>a</sup> Dicitur in conclusione *in rebus & bonis*: ubi notandum,  
non habere locum hoc jus in iis bonis, quæ maritus alieno no-  
mine possidet, puta si apud maritum deposita vel commodata  
sint. arg. l. 9. ff. de R.V. Sed an in rebus Feudalibus mariti, quæri-  
tur? Utique si vivente marito hoc remedio sibi prospiciat,  
quoniam

quoniam ad omnia bona mariti agere potest. teste Gail. 2. obs. 33.  
Sin verò defuncto eo, tum nisi feendum fuerit hereditarium ces-  
sabit. l. 2. Feud. tit. 55. Myns. 6. obs. 45. Gail. 2. obs. 154. Deinde et-  
iam notandum, non in omnibus ac universis bonis competere  
uxori hoc jus, sed ad concurrentem aestimationem tantum do-  
tis & in causam alimentorum aliarum ve rerum quas petit. Co-  
lerus de Process. Execut. part. 1. cap. 2. Gail. 2. obs. 92.

145.

Amplius dicitur Mariti: Tam viventis & ad inopiam ver-  
gentis, arg. l. 29. C. de Iur. dot. Bartol. in l. 24 ff. solut. matrim. n. 89.  
quam defuncti: quia vivente marito, quasi communem usum  
& possessionem omnium bonorum ejus habuit, saltem jure fa-  
miliaritatis. l. 41. ff. de acquir. possess. Coler. d.l. num. 220. Unde mor-  
tuo eo, meritò gaudet jure retentionis, quando vacua & non  
apprehensa ab alio possessio est, & illa verbis vel facto animum  
suum declarat, quod bona mariti jure retentionis pro sua dote  
vel aliis rebus velit possidere; quia hactenus jure familiaritatis  
bonis eius insistebat. d.l. 41. ff. de acquir. possess. ideoque ut postea  
causam possessionis mutet, & jure retentionis possideat, neces-  
se est, animum re vel verbis declarare. Quando autem ani-  
mum suum vel re vel facto aut verbis declarasse & possessionis  
causam mutasse censeatur? tradit Ludovic. Decis. 109. part. 2.

Tandem in conclusione ponitur: Pro eo debito, pro quo ipse  
datur actio. idque arg. d.l. unic. C. Etiam ob Chirog. pecun. & l. 156. §. 1.  
ff. de R. I.

Quapropter rectè retinet bona defuncti mariti 1. donec  
restituatur dos illata. arg. l. unic. C. de Rei uxor. act. Myns. 6. obs. 40.  
& 6. obs. 82. Gail. 2. obs. 92. n. 10. quia mulier in bonis mariti pi-  
gnus habet legale, §. 29. l. de act. d.l. un. § 1. C. de rei ux. act. unde non  
nisi injustè cogetur ante restitutionem dotis ex possessione illo-  
rum bonorum excedere. 2. Donec solvatur donatio propter nu-  
ptias, quoties eam sibi acquisivit. arg. l. 29. C. de jur. dot. l. 19. C. de  
donat. ante nupt. Nov. 109. c. 1. & Nov. 97. c. 1. Myns. 5. obs. 4. 3. Do-  
nec restituantur bona paraphernalia si in iis marito possessionem  
permiserit. l. 8. C. de Pact. convent. 4. Donec satisfiat de eo, quod  
ex pacto, consuetudine vel statuto loci, ubi maritus fixit domi-  
ciliū, mulieri debetur. Gail. 2. obs. 92. n. 10. Myns. 5. obs. 4. Co-  
lerus de process. Execut. part. 1. cap. 2. num. 220.

B 2

b Non



<sup>b</sup> Non solum ex natura correlativorum, quorum eadem est disciplina. l.3. ubi Bartol. & Jason. C. de ind. et. viduit. toll. Sed & propter rationem communis & indivisiæ possessionis bonorum inter conjuges, quæ & uxorem tuetur, quo minus relinquere cogatur bona mariti defuncti, nisi prius ipsi satisfactum fuerit. Berlich. part. 2. conclus. 32. n. 28. Retinet autem maritus, pro præstanda dote, vel rebus dotalibus evictis l. unic. §. 1. C. de Rei uxor. act. Nec non pro eo, quod ipsi ex jure communi pacto, statuto vel consuetudine civitatis aut Regionis debetur. Colerus d. loc. n. 234. <sup>c</sup> l. 34. ff. de damn. infect. l. 54. §. inter ff. Locat. in iis autem, quibus à lege prodita est hypotheca, l. 4. ff. de Pact. l. 4. l. 9. & seq. ff. in quib. caus. pign. l. 5. inf. C. Locat. An igitur libri studiosorum, in conductum musæum illati, retentioni subjaceant, quæritur? Respondetur non subjacere debere retentioni, si alia bona studiosus habeat: quia non minor esse debet favor illarum rerum, quibus animus hominis excolitur, quam quæ fundo excolendo asservantur. l. 7. l. 8. & auth. seq. C. quæ respign. Vide Carpzov. part. 2. const. 25. def. 20. Iurispr. For. Sed an pro deterioratione, sicut pro pensione competit retentio, quæritur? Aff. l. 2. ff. in quib. caus. pign. veltac. Colerus d. loc. n. 239. Eodem modo competit retentio Locatori prædii rustici in fructibus ibi natis, pro pensione debita: quia & hic tacite pignori esse domino fundi intelliguntur. l. 7. ff. in quib. caus. l. 24. §. 1. l. 53. ff. Locat. <sup>d</sup> l. 5. pr. ff. ad Exhib. l. 6. § ult. ff. qui pot. in pign. Colerus d. l. n. 241. <sup>e</sup> l. 13. §. 8. ff. de act. empt. arg. l. 14. §. 1. ff. de Furt. l. 31. §. 8. ff. de adil. edict. l. 22. ff. de her. vend. Habet autem retentionem tum demum, quando rem venditam nondum tradidit: quia adhuc est dominus. §. 3. f. l. de E. & V. d. l. 14. pr. & §. 1. ff. de Furt. Secus verò, si, pretio nondum accepto, rem tradiderit; eo casu enim sicut ad persequendam rem, actionem non habebit. l. 8. C. de contrah. empt. ita nec retentionem. Nisi forte in casu singulati argentarii, Nov. 136. c. 3. vers. fitamen. ibiq; Gothofr. lit. m. <sup>f</sup> arg. l. 13. §. 8. ff. de act. empt. l. 5. f. C. de Evict. ut & si in ipso contractus initio, ante solutionem pretii, evictio immineat, hoc casu namque rectè emptor retinebit premium, usque dum à venditore idonea de evictione futurâ prestita fuerit cautio. l. pen. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend. conf. l. 24. C. de Evict. §. l. 2. l. 8. C. de Postl. revers. l. 43. §. fin. ff. de Leg. l. l. 20. §. 1. in f.



in f. ff. qui testam. fac. poss. & hoc ex singulari ratione, ut videlicet captivi in tanta necessitate constituti, faciliores inveniant redemptores. l. ult. vers. ne quando damni consideratio C. de Postlim reversum cum aliis liber homo regulariter oppignorari nequeat. l. 6. C. quæ res pign. oblig. Nov. 134. c. 7. <sup>b</sup> quando hereditas legatis supra modum gravata est. l. 5. s. 1. ff. de dol. mal. exc. l. 76. pr. f. ff. de Leg. 2. Confer l. 7. l. 15. s. 1. l. 23. l. 80. s. 1. ff. ad L. Falc. l. pen. ibi retento C. eodem.

144.

VII.

*Ex altera*, impensarum videlicet, *causa* competit jus retentionis Cuivis Possessori, <sup>a</sup> in re ista in quam <sup>b</sup> impensas <sup>c</sup> fecit; *vel* ut alienam & animo alterum sibi obligandi, <sup>d</sup> *vel* ut suam suoque nomine, citra annum alterum sibi obligandi. <sup>e</sup> Daturque contra quemvis jus repetendi habentem. <sup>f</sup>

<sup>a</sup> arg. s. 31. Inst. de R.D. & s. 39. Inst. de act. l. 48. ff. de R. V. l. 14. s. 1. ff. Commun. div. l. 38. l. 39. s. 1. ff. de hered. pet. l. 33. ff. de condic. indeb. Excepto tamen depositario, ob l. pen. C. depos. & l. ult. C. de Compens. ne videlicet ansa perfidiæ, retento nimirum deposito, seu restitutione eius denegatâ, præbeatur; Sed, quæ in hoc contratu præcæteris exuberat fides, sanctissimè servetur. <sup>b</sup> Regulariter namq; retentionis jus locum non habet in re aliqua, pro expensis seu operis in alia re factis. Unde evenit, quod retentio cesset, si res ista, in quam impensæ factæ sunt, non amplius extet. Quod tamen non procedit in bonæ fidei possessore hereditatis; licet enim res ipsa, in quam impensæ factæ fuerunt, non extet, poterit tamen is nihilominus alias eiusdem hereditatis res tamdiu retinere, donec impensarum nomine ipsi fuerit satisfactum per l. 38. ff. de her. pet. <sup>c</sup> quæ nihil aliud sunt quam sumptus in rem aliquam facti. t. t. ff. de impens. in res dot. & sunt vel necessariæ, quæ si factæ non fuissent, res aut peritura, aut deterior futura fuisset, l. 79. ff. de V.S. l. 1. s. 1. ff. de impens. in res dot. fact.

B 3

utiles.



Vel Utiles, quæ meliorem rem faciunt & fructus augent. l. 5. §. fin.  
ff. de impens. in res dot. & d. l. 79. §. i. ff. de V.S. Vel Voluptuariæ, quæ  
ad voluptatem tantum & ornatum speciei pertinent. l. 7. ff. de im-  
pens. in res dot. & d. l. 79. ff. de V.S. Cæterum appellatione impensa-  
rum & operarum merces & pretium materiæ venit. l. 33. ff. de con-  
dict. indeb. l. 38. ff. de R.V. l. 29 ff. de petit. hered. §. 2. I. de Societ. <sup>d</sup> Tum  
per regulam generalem, quæ rem debitoris retinere permittit,  
pro impensis & meliorationibus in eam factis, l. 5. ff. de impens. in  
res dot. l. 14. ff. de except. dol. l. 20. ff. de acquir. poss. Tum etiam quod  
propter tales impensas actio detur. l. 55. §. i. l. 61. ff. Locat. l. 14. §. i.  
vers. qui ff. Commun. divid. t. t. ff. de Negot. gest. l. 59. ff. de Furt. Ergò  
multò magis retentio, per l. 156. §. i. ff. de R.I. l. 1. ff. de Pignor. l. 1. §. 4.  
ff. de Superf. arg. l. 4. C. de Vsur. Cur retentione opus, cum actio  
nobis detur? Respondet l. 59. ff. de Furt. interesse eius, qui im-  
pensas necessarias fecit, potius per retentionem eas servare,  
quam ultrò agere, & l. 25. ff. de R.I. melius esse rei incumbere  
quam actionibus experiri. & l. 1. ff. de Pign. facilis possidenti  
dari retentionem, quam non possidenti actionem. Cujacius  
8. obs. 2. Rectè igitur retinet i. Creditor rem oppignoratam,  
ob impensas necessarias in eam factas, l. si necessarias 8. pr. ff. de Pi-  
gnor. act. Utiles tamen impensas quoque repetet, si aut incho-  
ata à debitore absolverit, aut voluntate eius inchoaverit & per-  
fecerit, aut debitori sumptus illi non sint onerosi, sed ab eo fa-  
cile ferri possint, ut ne propterea cogatur rem pignoratam  
vendere. l. si servos. 25. ff. de pign. act. 2. Maritus rem dotalem,  
si impensas necessarias in eam fecerit, per §. 37. Inst. de act. & l. 5.  
l. 15. f. ff. de impens. in res dot. Itemque l. unic. §. 5. C. de Rei uxor. act.  
l. 56. §. 3. ff. de Iure dot. 3. Commodatarius rem commodatam  
propter impensas necessarias & majores, l. 15. §. fin. l. 59. ff. de Furt.  
l. 18. §. 2. ff. Commod. ut & propter utiles, si commodator eas fer-  
re possit, arg. l. 25. ff. de pignor. act. l. 38. ff. de R.V. 4. Emptor rem  
evictam. l. 45. §. 1. ff. de act. empt. 5. Conductor rem vel opus con-  
ductam conductum ve ob impensas necessarias vel utiles. l. 55.  
l. pen. ff. Locat. Quo fundamento nituntur Aurigæ, Tabellarij &c.  
retinentes res allatas vel advectas, si earum nomine aliquid ex-  
penderunt. Bald. in l. ult. n. 1. C. Commodat. Ut etiam Sartores &  
aliij opifices opus factum pro mercede præstanda. Gail. 2. obser. 12.  
Coler.

Coler. d.l.n.245. minimè tamen licebit opus aliquod retinere, pro mercede alterius operis, per ea, quæ lit. b. supra notantur. Nec minus hoc fundamento niti videntur *Stabularij & Caupones*, pro exhibitione aut hospitatione, jumenta vel alias res illatas per hospitatum retinentes. l.4. §.1. ibique Bartol. ff. in quib. caus. pign. Colerus d.l.n.250. Ut & Famuli vel Ancillæ ante præstitam mercedem ædibus domini excedere nolentes. Bald. in l.fin. C. Commod. 6. Negotiorum gestor rem in quam impensas fecit. l.13. ff. de Neg. gest. l.1. pr. ff. quib. mod. pign. solv. l.10. §.1. ff. de Negot. gest. 7. Procurator res quæsitas, pro sumptibus in lite factis, l.25. §.fin. & l.seq. l.30. l.46. §.5. ff de Procurat. 8. Advocatus, Notarius, Actuarius acta, pro consequendo honorario vel mercede, l.12. ff. de vi & vi armat. l.25. ff. de Procurat. l.14. §.1. ff. Commun. divid. & l.59. ff. de Furt. modò Reip. non interficit acta exhiberi. arg. l.51. ibique Gothofred. ff. ad L. Aquil. 9. Dominus hospitijs, tot res vel bona hospitati, quanta sufficiunt ad exsolutionem pretii unius vel alterius prandii vel cœnæ. Bald. in l.5. C. Locat. quod etiam extenditur ad omnem Creditorem, qui impensas fecit in cura, vel pro medicina hospitati, vel in expediendis eius exequiis. Coler. d.l.n.255. 10. Tutor res pupilli, ob impensas in eas factas. arg. §.2. I. de oblig. q. ex q. contr. l.1. §.4. ff. de contr. tut. act. 11. Magister navis in mercatorum vel vectorum mercibus, propter res illas, quæ, tempestate gravi subortâ, levandæ navis causa jactæ sunt; idque donec à singulis, quorum interfuit jactum fieri, pro ratâ portione contribuatur. l.2. ff. ad L. Rhod. de jact. æquum enim est, ut per hoc beneficium consulatur rursus amissarum mercium dominis, utpote qui, rerum suarum jactura, aliorum vitam fortunasque quasi conservarunt. 12. Usufructuarius rem usufructuariam, si ultra quām debebat impenderit, arg. l.7. §.ult. ff. solut. matr. l.7. C. de Usufruct. Secus est in Emphyteuta. arg. l. fin. C. de Iur. Emphyt. <sup>e</sup> Licet hic negotium suum gerere videatur, ac proinde hoc remedio carere deberet, juxta l.58. §.2. f. ff. ad SC. Trebell. contrarium tamen propter æquitatis rationem receptum est, ut appareat ex l.48. ff. de R. V. §.31. ff. de rer. divis. l.14. §.1. ff. Commun. div. l.38. l.39. §.1. ff. de petit. hered. Ita tamen, ut Bonæ fidei possessor regulariter (nam in quibusdam casibus jus tantum auferendi habet, l.38. ff. de R. V. l.8. ff. de impens. in res.

*in res dot*) omnes impensas, sive sint necessariæ, sive utiles, sive voluptuariae, per exceptionem doli retinere possit. l.38. l.39. §. 1. ff. de hered. petit. & l.36. §. fin. ff. eodem. Necessariæ autem & utiles retentione consequitur bona fidei possessor hereditatis, etiam si res non extet, in quam factæ sint, l.38. ff. de petit. hered. Malæ fidei vero possessor necessariæ & utiles, l.5. C. de R. V. l.38. l.36. §. fin. ff. de petit. hered. si res extet, in quam impensas fecit. d. l.38. ff. de petit. hered. <sup>f</sup> Ut ex modò dictis propter naturam correlatiorum constare poterit. Etiam contra Ecclesiam. c. i. extr. de Restit. in integr. &c.

## VII.

*Objectum* exhibit res, non persona,<sup>a</sup> & quidem res aliena<sup>b</sup> tam corporalis quam incorporalis:<sup>c</sup> modò causa idonea retentio-  
nis subsit.<sup>d</sup>

<sup>a</sup> Libera, Nov. 134 c.7. & auth. imò à debitore C. de O. & A. & l. 12. C. eodem. nisi in casu singulari redempti ab hostibus, de quo supra in conclus. s. in fin. egimus. <sup>b</sup> l.48. ff. de R. V. l.33. ff. de condit. indeb. non absolute propria. l.58. § 2. vers. quod si fœnus. ff. ad SC. Trebell. Secus si restitutioni ad alium obnoxia sit, l.13. §. 8. ff. de act. empt. oportet autem, ut sit eius propria, contra quem hoc juris remedium intendimus. <sup>c</sup> Unde rectè retinentur no-  
mina & alia jura rei corporali inhærentia, velut hodie Decimæ & Reditus. per Recell. Imper. Augustæ de Anno 1555. s. Als auch  
denen Ständen der alten Religion. Res Ecclesiæ. cap. i. extr. de in-  
integr. rest. Res minoris, l.39. §. fin. ff. de Minor. Res empta sub pa-  
cto de retrovendendo pro alio debito. Anton. Fab. in Codie, lib. 8.  
tit. 16. def. 4. Res Feudales ad temperamentum quoddam. Res  
pignoratae, commodatae, non vero depositæ, juxta supra proposita.  
nec etiam Cadavera defunctorum ad sepulturam impediendam.  
arg. c. 19. caus. 13. q. 2. l.3. s. de sepulchr. viol. <sup>d</sup> quæ ex præmissis  
facile elici potest.

## VIII.

*Constituitur Retentio vel Extrajudicium*,<sup>a</sup> vel in Judicio,<sup>b</sup> vel ipso jure,<sup>c</sup> vel per Exceptionem doli:<sup>d</sup> in quacunque parte judicii, etiam post sententiam,<sup>e</sup> & quidem in re aestimatione sua debitum excedente.<sup>f</sup> *Constituta*, consistit in rei alienæ ad tempus tantum,<sup>g</sup> citra animum pro suo possidendi, detentione.<sup>h</sup>

<sup>a</sup> Quando propriâ auctoritate, non requisito ad id judicis officio, res retinetur, ut exemplo l.34. ff. de damn. infect. & l.54. §. 1. ff. Locat. aliarumq. constat. licet tutius agatur, adhibendo auctoritatem Magistratus, quemadmodum consulit, post allegatos, Coler. cit. l.n. 237. <sup>b</sup> juxta supra in conclus. 2. lit. b. notata. <sup>c</sup> §. 37. Inst. de act. l.30. ff. de Act. empt. l.5. ff. de impens. in res dot. unde nullâ exceptione opus: quia ipsa actio imminuta censemur. <sup>d</sup> supra conclus. 2. lit. g. <sup>e</sup> arg. l.41. §. fin. ff. de rejud. l.17. §. 2. ff. solut. matr. quia non impugnat sententiam, sed tantū executionem eius. <sup>f</sup> Cum non necessarium sit, ut ad concurrentem aestimationem debiti retentio constituantur. arg. §. 30. & §. 33. I de R.D. & juris indubitati sit, quod creditores etiamsi major pars pecuniae debitæ sit exsoluta, pro residuo toti pignori incumbere valeant, l.25. §. 14. ff. Fam. ercisc. l.6. C. de distract. pign. Diversum tamen in persona viduae receptum est, quando non ad restitutionem dotis aliarumve rerum sibi debitarum, sed potius ut alimenta inde habeat, & fructus ad sustentationem sui suæq; familiæ, agat, l. ubi adhuc. 29. vers. ita tamen. C. de jure dot. Hoc casu namque ad concurrentem tantum aestimationem suæ dotis, aliarumve rerum quas petit, dabitur: quia satis intentioni eius corresponebit, si in tot astantis bonis jus retentionis exerceat, quæ in causam rei petitæ & alimentorum sufficient; durante interim jure tacitæ hypothecæ in reliquis ac universis defuncti mariti bonis. Gail. 2. obs. 92 Coler. d.l. n. 224. <sup>g</sup> juxta Conclus. 2. lit. e. notata. <sup>h</sup> quia quasi

C pignoris

pignoris jure tantum res possidetur, quo magis cautum sit de pretii vel debiti solutione, atque ut saltem tædio perpetuae custodiae extorqueatur à debitore: sicut loquitur Ulpianus in l. 5. ff. *Vt in poss. legat.*

IX.

FINIS juris retentionis est, ut securus redatur creditor de credito quandoque recipiendo<sup>a</sup> & ut eò citius ad solvendum adstringatur debtor.<sup>b</sup>

<sup>a</sup> Plus cautionis namque in re est, quam in persona, l. 25. ff. de Reg. Iur. l. 12. §. 2. l. 15. pr. ff. de furt. l. unic. C. Etiam ob Chirogr. pecun.

<sup>b</sup> Cum intersit rem suam habere; hanc autem si consequi velit, ante omnia ut solvat necesse erit.

X.

Effectus retentionis inter alios est quod retinenti *tribuat* facultatem transferendi juris sui ad alium,<sup>a</sup> Immunitatem à tributis ac oneribus , respectu rei retentæ impositis,<sup>b</sup> Conditio[n]em certi vel incerti,<sup>c</sup> & alia remedia;<sup>d</sup> *Deneget* autem ipsi Usumfructum<sup>e</sup> & distractionem,<sup>f</sup> *adigatq;* eum ad præstandam diligentiam,<sup>g</sup> administrationem & rationum redditionem.<sup>h</sup>

<sup>a</sup> Titulo tam Universali. l. 5. ff. de dot. præl. & arg. l. 7. §. ult. ff. de condic. furtiv. quam singulari venditionis puta vel oppignorationis, l. 14. §. 1. ff. Commun. divid. Nam & alias regulariter jus retentionis, ratione impensarum per cessionem in alium transfertur, d. l. 14. ff. Comm. div. Neguz. membr. 4. part. 5. n. 23. quid ni etiam illud, quod ex alia causa descendit? <sup>b</sup> per l. 6. C. de pignor. & l. 7. C. de pign. act. tum quod proprietario tributorum onus incum-



incumbat, arg. l. 4. ubi Bartol. C. de agric. & cens. tum quod fructus  
 percepti ad proprietarium spectent, ergo & onus. l. 7. ff. de public.  
 l. 1. vers. fructus. C. de annon. & tribut. <sup>c</sup> Certi quidem, quando  
 ea solverimus, pro quibus retentio ipso jure nobis competiit.  
 l. 5. §. ult. ff. de impens. in res dot. l. 30. ff. de act. empt. Incerti vero, quan-  
 do ea solverimus, pro quibus per oppositam exceptionem nobis  
 datur retentio, l. 31. l. 33. l. 51. ff. de condict. indeb. l. 30. §. 1. ff. eod. <sup>d</sup> Ut,  
 remedium can. redintegr. 3. caus. q. 1. & cap. 18. extr. de restit. spoliat.  
 Unde vidua vi vel persuasione possessione honorum mariti de-  
 jecta, tanquam spoliata restitui debet. Colerus de Process. Exec. d.  
 loc. n. 222. dummodo animum suum declararit juxta ea, quæ su-  
 pra diximus. alias alio remedio, nimirum dotis actione, sibi  
 consulere necesse habebit, arg. l. 9. C. solut. matrim. <sup>e</sup> Cum &  
 in vero pignore fructus non debeantur, sed in sorte imputen-  
 tur. l. 1. & seq. G. de pign. act. l. 18. §. 1. ff. eodem. cap. 6. extr. de pign. Ea-  
 tenus tamen diversum obtinet in persona viduæ, ut illa frui pos-  
 sit bonis mariti, quoad indigentiam suæ & suorum necessitatis.  
 Neguz. 4. membr. 5. part. de pign. & hypoth. reliqua tenetur restitu-  
 ere, vel in summam petitam imputare. Colerus dict. loc. n. 225. &  
 n. 231. <sup>f</sup> Cum hæc potestas à legibus non tribuatur retinen-  
 ti. <sup>g</sup> Quam res retentare requirat: Unde & ad dolum & cul-  
 pam tam latam quam levem præstandam obligatus erit, si nego-  
 tium, ex quo retentionis jus promanat, exigat, arg. l. 23. ff. de Reg.  
 Iur. l. 5. §. 2. ff. de tutel. & rat. distr. à quâ non immunis erit vidua  
 curatorem accipere recusans. Bartol. in l. 7. ff. Solut. matr. Coler.  
 d. l. n. 224. & 225. Sicut etiam eo casu cogitur de rebus heredita-  
 riis defuncti inventarium confidere, vel deficiente eo, median-  
 te juramento rationes reddere. per l. 2. §. in exigendis. ubi gloss. C..  
 quando & quib. quart. l. II. ff. Rer. amot.

## XI.

Finitur tandem Retentio, si pro debito,  
 pro quo res retenta fuit, satisfiat. <sup>a</sup> Si reire-  
 tentæ possessio amittatur, <sup>b</sup> Si retinens do-  
 mino

mino rei retentæ successerit. <sup>c</sup> Si rem reten-  
tam inhonestè & male tractârit. <sup>d</sup>

<sup>a</sup> arg. l. 43. ff. de solut. l. 9. § 3. ff. de pign. act. l. 6. l. pen. ff. quib. mod. pign. solv. l. 25. §. fin. juncta l. 26. ff. de Procur. <sup>b</sup> Sive ea contingat per rei interitum totalem. arg. l. si conv. 18. §. si quis caverit. 3. ff. de pign. act. l. 8 ff. quib. mod. pign. solv. Sive alio quovis modo: Notandum tamen bonæ fidei possessorem hereditatis retinere posse alias hereditarias res, licet in eas impensæ factæ non sint. l. 38. ff. de petit. hered. <sup>c</sup> l. 29. ff. de pignorat. act. <sup>d</sup> arg. l. 24. §. ult. ff. d. l. Hæc sunt, quæ præsentis instituti ratione proponere debui; in quibus, si hallucinatus fuero, monitus meliora sequar. Sic à benevolo lectore veniam mihi concessum iri confido. Supremo interim Numini sit

Laus, Honos & Gloria semi-

piterna.

**F I N I S.**



**ULB Halle**  
006 682 197

3



KD17



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-613097-p0024-3

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

## FarbKarte #13



DIVIDUA TRINITATE

138.

1662, 10.  
T I O N I S  
R E

21

JURIDICAM  
RALEM

Auctoritate  
NOBILISSIMI,  
URISCONSULTO,  
CELEERRIMA  
ATENSIMUM  
MIA,

Disp. xx

utroque Iure  
Privilegiis  
uendis,

submitter  
nsis April.

PHILIPPUS Heinß/  
o-Alfatus.

ORATI,  
REÆ DOLHOPFII,  
C LXII.